



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri  
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De  
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,  
insignes & peruetusti**

**Petrus <Chrysologus>**

**Lvgdvni, 1623**

De eodem, Sermo LXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](#)

*De eodem, Sermo L XV.*

**Q**uoniam mortem Lazari, Mariæ fletus, lachrymas Marthæ, Iudæorum planctus iam perstrinximus sermone geminato, nunc exoneremus animos, abiiciamus curas, exoccupemus sensus, ut resurrectionis tantæ gaudia totis mentibus & capere & audire possimus. Euangelista venisse ad monumentum sic prædicat saluatorem. *Iesus, inquit, rursus fremens in semetipso, venit ad monumentum: erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Iesus fremens venit ad monumentum.* Fremit Christus, ut caro reuiuiscat: fremit vita, ut mors fugetur: fremit Deus ut resurgat homo: fremit indulgentia, ne sententia contradicat: fremit Christus debellans mortem, quia non potest nō tremere, qui singularē rapit de hoste victoriā: quod autem dixit, *Rursus fremes.* Fremit rursum, ut geminata resurrectionis demonstret insignia: quia voce Christi sicut mortui corpore de sepulchris suscitantur ad vitam, perfidia mortui ad vitam fidei sic resurgunt. *Erat, inquit, spelunca.* Dixisse sufficerat, venisse ad monumentum: quid est quod tantopere speluncam Euangelista commemorat? Spelunca planè, vbi hominem diaboli latrocinium collocauit: spelunca, vbi virum fraus condidit mulieris: spelunca, vbi Dei plasma mortis rapacitas includebat. *Et lapis superpositus erat ei.* Duræ mortis ianua durior durissimo lapide claudebatur: sed plorans quid proficit ad sepulchrum, quando sic duros & congestos obices non penetrat vox plorantis? Christiani ploremus Deo pro peccatis nostris, & mortuis non audientibus cum gentibus non ploremus. *Ait Iesus, tollite lapidem.* Inter diuinās virtutes humanū Christus requirit auxilium? non sufficit amouere

amouere lapidem , qui mortem sufficit effugare ? se-  
pulchri claustra referare non valet , qui portas tarta-  
ri præualet aperire? Dixerat per Prophetam : Auferam *Ezech. 11*  
cor lapideum de carne eorum , & dabo eis cor car-  
neum : præcepit ergo , vt Iudæi ex se cor lapideum  
tollant , euoluant perfidiae saxum , silicem duræ in-  
credulitatis excludant , quatenus animæ per infide-  
litatem mortuæ de sepulchro pectoris proflirent : &  
non tantum surrexisse Lazarum , quantum se Lazaro  
non consurrexisse gauderent . *Tollite lapidem.* Tol-  
lite miseræ humanitatis obsequium , vt diuinitatis  
beatæ opera nunc clarescant . *Tollite lapidem.* Quem  
posuistis vos , vt hominem quem ego posui , nunc re-  
ponam . *Respondit Martha , Domine , iam fætet.* Mu-  
lier & quod fætet cuius est ? *Iam fætet.* Modò ad te  
pertinet , quod à te venit , ad sepulchrum non sen-  
tires fætorem , si in Paradiso sua forem noluisses au-  
dire . *Iam fætet.* Quod perditori fætet , non fætet  
creatori : *Iam fætet.* Quod horret alieni operis euersor ,  
amatör sui operis non abhorret . Sed dicendo sic , te-  
staris mortem , quam tu mulier intulisti : fætorem  
clama , vt plena mors audientibus innotescat , qua-  
tenus quod resurget Lazarus , redeuntis sit Spiritus ,  
non latentis : Diuinæ virtutis sit , non sit artis hu-  
manæ : neque Iudæi , qui nos dicunt in principe dé-  
moniorum eiicere dæmones , iterum dicant nos non  
imperio Dei , sed humano præsidio mortuos susci-  
tare . *Iam fætet , quatriduanus est.* Dicit & tempus , vt  
sciant , quia auctor est temporum , cui tempora nul-  
la præscribunt . *Iam fætet , quatriduanus est.* Dicendo sic ,  
exaggerat desperationem , vt qui adsunt videant : quia  
Deus est , qui sic vitam mortuis , desperatis salutem ,  
fætentibus dat vigorem . *Eleuatis , inquit , oculis sursū.* E-  
leuat oculos sursū , vt nobis formā supplicādi tribuat ,

Matt. 9.

P 2 non

non sibi viam præparet impetrandi: namque sursum  
 respicit, qui semper est sursum cum patre, semper pa-  
 Iean. 14. ter in ipso est, & ipse est semper in patre. Ego, inquit,  
 in patre, & pater in me est. Pater, inquit, gratias tibi ago : quia audisti me. De præstito agit gratias, & quod  
 pater audierit, hoc dicitur, quod filius petierit, hoc  
 tacetur. Fratres, inter patrē & filium audiēdi est affe-  
 ctio, non est necessitas supplicandi ; charitas assen-  
 sus est, non est austeritas iussionis ; ibi amore geran-  
 tur omnia, vbi non indigetur obsequio : sicut ex se-  
 quentibus elucescit. Pater gratias ago tibi, quia audisti  
 me: ego autem sciebam, quia semper me audis. Vacat inuo-  
 candi cura, vbi fiducia certa est audiendi. Aut quid  
 ibi facit petendi labor, vbi præstandi est causa com-  
 munis ? Nemo ergo sic filium minoret precibus, ne  
 patrem circa salutem hominum sic minoret. Quare  
 autem sic loquatur filius, ipse aperit, sic dicendo.  
 Pater gratias ago tibi, quia audisti me: ego autem sciebam,  
 quia semper me audis ; sed propter populum dixi qui cir-  
 cumstat. Videtis quia loquendo talia suum, patrisque  
 affectum tollit, prodit, pandit gratiam : loquitur  
 Iean. 17. vnitatem. Dixerat, Omnia quæ habet pater, mea  
 sunt, & si sua sunt omnia, quomodo petit ? Qui de  
 suo petit quod petit, non necessitat̄ est, sed amo-  
 ris. Pater gratias ago tibi, quia audisti me : ego autem  
 sciebam, quia semper me audis : sed propter populum dixi,  
 qui circumstat : ut eredant, quia tu me misisti. Misum  
 se dixit, ut populisciāt de cœlo venisse Christum,  
 non recessisse de cœlo. Sic ergo mittitur, sic & quod  
 habet, accipit, quomodo vnde venerat non rece-  
 sit ; sic ergo & filius quod habet accipit, & pater  
 quod dederit non amittit. Fratres, & quod auditur,  
 & quod mittitur, & quod venit, & quod accipit,  
 & quod nascitur, & quod patitur, & quod mo-  
 ritur,

ritur, & quod resurgit, non est hoc diuinitatis suæ, infirmitatis hoc nostræ est, nostræ est hoc naturæ: quod tamen totum causa nostri tulit in nostro corpore, non propter se in sua pertulit maiestate. Sed ad proposita redeamus. Quid est quod dicit, *Pater, gratias ago tibi, quia audisti me?* Quid est? Vbi Christus cœpit inferi pulsare foræs, portas tartari submouere, ianuas aperire mortis, gehennæ soluere legem vetustam, deturbare antiquissimum ius pœnarum, reposcere Lazari animam, ab inferis viam reditus innuare, occurrit ei tartari tota furens potestas, præferrens edictum superni principis excelsi regis portans decretum, gestans latam tot sæculis Deo loquente sententiam, & videns hominem, sciscitabatur, quis iste esset: quid auderet, quid sibi vellet, cur solus, aut sine tremore tremendos mortis lacescat & incusat accessus. Cui dicenti quis esset, responderunt Prophetica voce ministri resurrectionis angelii. Ipse *Psalmus 2.5.* est rex gloriae, ipse est fortis & potens in prælio. Sed refert tartarus: Ego regem gloriae in cœlestibus scio omnibus potestatibus cælicis præsidere, cuius nutum tota sufferre non potest creatura: hunc autem video de terrenis vnum, concretum limo, corpore mortali septum, & in ipso habitu hominis, hominibus viliorem, & ad summam cito dandum sepulchro, subdendum meæ protinus esse ditioni. Sed per listenibus angelis, & repetentibus. Ipse est dominus virtutum, ipse est rex gloriae, ipse cœli præsul, ipse creator mundi, ipse saluator sæculi, ipse redemptor omniū, & de qua furis tu, lator ipse sententiae, ipse tuum calcaturus caput, ipse tuum contriturus imperium, ipse te suo iudicio perditurus, qui teos iussus capere, attrahis innocentes, sanctos diripi's, ipsi Dei filio comminaris. Redde ergo vnum, priusquam mul-

tos cogaris exoluere. Sed tartarus adhuc ista non credens, per consuetos nuncios recurrit ad cœlum, hæc inuidiosa interpellatione deploraturus. Ego Domine, & si extremus creaturæ tuæ, & si tristi seruitio mancipatus, præcepta tua inuiolabili lege seruo, per uigilo, ne quis sententiæ tuæ vetustum ius nouus temerator immutet: sed apparuit homo qui dicitur Christus, tuum se filium iactans, sacerdotes tuos notat, scribas tuos arguit, sabbatha tua violat, legem tuam soluit, & animas exemptas carne, & pœnæ iam, meæque custodiæ deputatas ad corpora, in quibus sceleratè vixerant, redire compellit: & tantis quotidie procedit ausibus, ut Lazarum iam carcere nostro clausum, iam lege nostra vinclatum, iam in iure nostro manentem, effractis claustris inferi conetur eruere: aut scito subueni, aut si patefecerit semel ianuas, omnes quos tot sæculis seruauimus, nunc amittis. Ad hæc si ius de sinu patris respondit, Pater, iustum est, ut carcer non innocentes teneat, sed nocentes: pœna non iustos cruciet, sed iniustos. Quamdiu sub vnius hominis culpa, propter Adæ solius noxiam, Patriarchas, Prophetas, Martyres, Confessores, Virgines, Vidiuas, in castitate coniugij permanentes, omnes ætates, vtrunque sexum, certè paruos nescientes bonum vel malum, hic carnifex ad se trahere crudeli infestatione non cessat: Pater, ego moriar, ut non moriantur omnes: Pater, ego Adæ debitum soluam, ut per me tibi viuant, qui per Adam moruntur inferno: Pater, propter sententiam tuam ego meum sanguinem fundam: tantum est ut ad te tua redeat creatura: precium charitati sanguinis mei redemptio sit omnium mortuorum. Ad hæc totius Trinitatis consensus, & Lazarum præcepit exire, & tartarus ad reddendos omnes mortuos

mortuus Christo iussus est obedire: hinc est quod filius clamat, *Pater gratias tibi ago, quia audisti me.* Testatur Apostolus, quod Christus aduocatus noster <sup>Hebr.4.</sup> sit apud patrem, denique quando sedet, coniudicat patri, quando stat, officio fungitur aduocati. Tunc Christus peracta aduocatione clamat voce magna: *Lazare veni foras.* Tunc tartarus ligatis manibus & pedibus, Lazarum retulit ad superna: timens, & tremens, ne dum soluit, ne dum moras facit, ne dum tardius refert vnum, oimnes cogeretur afferre: sic factus est viuorum relator, qui raptor esse consueverat mortuorum. Nam quare Christus vincula inferni diripi, mortis ligamenta dissoluit, nisi ut nobis monstraret inferni tremendam seruitutem? Nam si de <sup>Inde.</sup> Moysi corpore diabolus angelo contradixit, quomodo non tartarus Christo de vita & de resurrectione Lazari contradicet? Orate fratres, ut qui gustum resurrectionis Lazaro propinante suscepimus, redeunte Christo vniuersalis resurrectionis voces mereamur audire.

---

*De ditate & Lazaro, Sermo LXVI.*

**D**VAS hodie à duobus Euangelistis editas, ita recitari fecimus lectiones, ut sermoni nostro, vester intellectus occurreret, paterent abdita. Lazari resurrectionis occasio, cur alterius nos Lazari compulerit facere mentionem, ex sequentibus audieris: modò inhumani diuitis, & Lazari pauperis, stupendas vires, pauendas successiones, conditiones admodum lamentandas in medium producere & afferre gestimus: quia diues qui participem pauperem in bonis praesentibus audire contempsit, in futuris malis competentem pauperem non meruit inuenire: nec ardens aquæ refrigerium percepit, æstuanti pauperi fame